

fol. 10 Überschrift: Copia foundationis Caenobii Murhart. Am Ende des Blattes Archivnotizen: Archiv ad. Tom. 34 gehörig und Nu(mer)us. [9-förmiges us-Kürzel] 4 (18. Jh.); von moderner Hand No. 34.4.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ludouicus^a dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus fratribus in Murhart^b secundum regulam Beati Benedicti constitutis in perpetuum. Quia dignitas Romani imperii originem ab eo ducit, qui regna mundi moderatur ac regit, iustum videtur et consequens, ut moderaminis nostri equitas in omni dispositione nostra sumat ab ipso exordium, cuius providentia ac maiestatis gratia temporalis imperii sumpsisse dinoscimur incrementum. Omnibus igitur Christi nostrisque fidelibus tam presentibus quam futuris notum esse volumus, quod salubri quadam ac necessariâ nobis intentione, dum divina circa nos beneficia diligentius tractare quodam tempore caepissemus, qualiter aeterna temporalibus nostris comparare sive mercari possemus^c, diligenti examinatione penes nos trutinavimus^d. Verum quia deus, qui iustis cogitationibus adesse solet, in causa fuit, cito quod voluimus occurrit.

Eiusdem enim divini numinis instinctu quidam venerabilis Eremita^e Walthricus^f nomine, maiestatis nostrae adiens praesentiam, ut locum sibi, ubi secretius deo vacaret, largiri^g dignaremur, suppliciter exoravit. Cuius precationi^h tam bonae tam deo placitae votoⁱ et voluntati^j occurrentes, ipsum venerabilem virum, habito fidelium nostrorum consilio, in nemore prope castrum nostrae proprietatis, quod vulgo Hunnenburg^k dicitur, iuxta rivum qui Murrha^l vocatur, habitare permisimus.

Laudabilem vero viri conversationem de die in diem proficere audientes, ipsum^m in peculiarem nobisⁿ Confessorem elegimus, et non multo post solitariam eius vitam necessario mutantes, duodecim fratres, qui cum eo illic deo servire et secundum instituta regule Beati Benedicti Monasticam vitam ducere deberent, instituimus, ipsis ad necessaria vite elaboranda, ipsorumque successoribus perenniter^o possidenda ab eodem loco per quatuor dimensiones, in qualibet dimensione

a) Lodovicus *R.*

b) Murrhart *R.*

c) possimus *M.*

d) cogitavimus *M.*

e) heremita *MW.*

f) Vualtericus *M.*

g) largire *R.*

h) petitioni *R.*

i) voce *M.*

j) voluntate *R.*

k) Hunenburg *W.*, Huneburg *MR.*

l) Murra *MW.*

m) ipsum nobis *R.*

n) *fehlt R.*

o) perhenniter *R.*